

a Jure sistendo seu a Juris statu, ideo, quia nimirum ab eadem unice dependeat, ut cuique tribuatur seu sistatur Jus; Alii eandem deducere volunt a voce Vistitiae, hanc ob causam, quia vim quasi fistat, adhibita tamen certa literarum μεταθέσει; Quidam denique ad usum quorundam vocabulorum refugiunt, dicentes, justitiam dependere a Genitivo sui Adjectivi, cum additamento TIA, quod suum assertum probare conantur ex permultis aliis vocabulis Latinis, v.g. Laetitiae, amicitiae, avaritiae &c. Nos relictis omnibus his sententiis statuimus. optime rem expediri posse, si prius distinguamus cum CHRISTIANO Liebenthalen inter vocabuli Justitiae nomen, ejusque rem: Si illud respicias, recte dixeris, Justitiam derivari a Jure, cum plerumque derivativa pluribus constent literis & syllabis, quam primitiva, id quod, si alia exempla in medium proferre velimus, facile uberius demonstrare possemus; Si vero hanc, non erraveris, si asseras, Jus originem suam adscribere justitiae: Nam, quod jus in aliquo negotio retineamus, acceptum ferre tenemur Justitiae, praecipienti, ut cuique Jus tribuatur. Vel, si cum ADRIANO HEEREBOORDIO loqui velimus, dicendum: Justitiam posse considerari vel antecedenter, tanquam juris causam, ut, cum quis per habitum justitiae jus alteri facit, ita Jus descendet a Justitia; vel consequenter, quatenus est effectus Juris, in quantum secundum leges agendo quisquam habitum justitiae habi comparat, ita justitia a jure venit. Caeterum nobis in praesenti sermonem esse de justitia Particulari, facile quilibet vel ex inscriptione, Dissertationi tributa, videre potest. Et enim, quae in Theologorum Scholis exponitur & in Legalem & Evangelicam communiter dispesciter, distinctio, qua de consuli potest inter alios SAMUEL RACHELIUS, Prof. Helmst. celeerrimus, in peculiari dissertatione, nobis in Philosophorum foro versantibus, plane est incognita; Neque etiam ea justitia considerationi nostrae subjicitur, quam ARISTOTELES L.V Eth. Nic., cap. I νόμιμον appellat, & alias universalis audit: Haec enim a reliquis virtutibus non re aut realiter, sed tantum ratione & formaliter distinguitur; Hinc & complexus omnium virtutum saepius salutatur, quem exponere non istius est, qui, quae proponere vult, in exiguo spatio delineare debet, sed, cui animus est, vel Aretologiam, vel in genere etiam Ethicam quandam conscribere.

II. Ex dictis itaque nunc liquet, nobis jam pertractandam relinqu justitiam particularem, quam dari cum Philosopho facile possemus tribus